








10 20 30 40 50 60 70 80 90 90 80 70 60 50 40 30 20 10

¶ Incipit liber Abrahami iudei de natiuitatibus.

D Ixit quoqꝫ abrahā iude⁹: optimū instrumento ꝑ q̄d inueniendū gradū orientem in natiuitatib⁹ est astrolabiū: qd̄ quāto ꝑfectius fuerit tāto meli⁹. Post astrolabium aūt optimū ē instrumentū qd̄ appellaī quarta circuli. Post hec vmbra recta. Post hec vmbra transuersa. Post hec mensura ꝑ aquā facta. ¶ Animodar qd̄ interpretaī trutina de qua dixit ptholomeus: qd̄ cōsiderandū ē q̄ planeta potestatē habeat in gradu adunatiōis vel oppositionis solis ꝛ lune ā natiuitatē ꝓcessit: qꝛ quot grad⁹ signi in quo est ille planeta ꝓterierūt: tot sunt grad⁹ orientis vel medij celi. Multis ꝓbatiōib⁹ falsū esse constat: qd̄ sigs defensor ptholomei accesserit ꝛ nobis obijciat dicēs falsitatē animodar nō recte probatam esse propter discordiā philosophoꝝ: ꝓpter discordiā de ꝓtātib⁹ planetarum in gradib⁹. Respondem⁹ nos in multis natiuitatib⁹ cū astrolabio perfecto etiā in pūcto ꝑarū natiuitatū in terre etiaꝫ cui⁹ latitudo cognita in gradib⁹ ꝛ minutis sūpsisse grad⁹ ꝛ minuta altitudinis solis nec tñ inuenisse aliqū aliquē de septem planetis cui⁹ grad⁹ ꝛ minuta respondent gradibus ꝛ minutis orientis vel medij celi nisi cum fallacia plusqꝫ triū quartarū hore. ¶ Dixit messahala: differētia adunationis ꝛ oppositionis solis ꝛ lune tāqꝫ horā vnā tēporalē ponendā esse: ꝛ deinde quātū hora natiuitatis ab hora ꝓcedente adunationis ꝛ oppositionis distiterit considerandū esse: ꝛ scḋm ꝓportionē distantie illi⁹ ad totā distantiā inter adunationē ꝛ oppositionē: de hora tēꝑali sumendū: sed ꝛ hoc multotiens falsum esse probauim⁹. ¶ Dixit hermes quod locus lune in hora infusionis spermatis in matricē: erit gradus oriens in natiuitate: gradus vō oriens in cōceptiōe est lune locus in natiuitate: qd̄ verum esse ꝓbatiōe cognitū est nisi natiuitas vel septimo vl' vndecimo mense fuerit. ¶ Magistri eni astronomie primū mensē a cōceptione saturno attribuūt eo quod ipse semini vim retentiuā administret. Secundū vō ioui eo qꝫ ipse incrementū semini conferat. Tertiū marti calorem augmentanti ꝛ motū attribuenti. Quartū soli qui vitā spiritualē in cor-

de ponit. Quintū veneri lineamēta corporis ꝛ mēbra formāti ꝛ venu-
stanti. Sextū mercurio q mēbra a se diuidit hacten⁹ cōiūcta. Septimū
lune q̄ forme est mod⁹ indicatiu⁹: nascentē in hoc mēse contingit vi-
uere sed nō diu ꝛ vix vn⁹ inquinamento carens in hoc mense nascitur.
Octau⁹ itez ut prim⁹ saturno dedicat: egressū conceptui ꝓhibenti: q̄ si
vel ex motu aīe vel accidēte corporis in hoc mēse ꝑgnās pepererit ꝛ pa-
riēs ꝛ part⁹ simul vita ꝑuabunt. Itē non⁹ ioui ascribit quo plurimi na-
scunt. Contingit etiā quosdā in mense decimo nasci eo q̄ mars motuz
prebeat qui est mensis ille. Sunt quoq₃ qui mense vndecimo oriunt sed
rarissimi ut vix vn⁹ inter mille. ¶ Nūc aūt artē trademus qua scire pote-
rimus cognita natiuitate quot dies pregnās cōceptui hospiciū prebue-
rit: cognito oriente in natiuitate cognitoq₃ vtrū luna in superiori hemi-
sperio fuerit vel ꝓpe ipm̄ i principio septime dom⁹ vel iux̄ ꝑncipiū inue-
neris dies more fuerūt. 259. si aūt plurimū a principio septime domus
distiterit: vide quot grad⁹ equalib⁹ ab eo distet ꝛ ꝓ singulis gradib⁹: su-
me horā rectā ꝛ quinquagita minuta hore: horas cū minutis hore i dies
redige: ꝛ q̄d inde ꝓuenerit: ꝑfate sūme diez adiunge. Q̄d si luna fuerit i
orientis gradu: dies more fuerūt. 273. q̄ si luna in inferiori hemisperio
fuerit: visa differentia ab oriente ad ipam i gradib⁹ equalib⁹ operās ut
supra q̄d productū fuerit adde sūme ꝑfate dierū luna in superiori emi-
sperio existente. Consentio hermeti in hoc q̄ locus lune in cōceptione
erit oriens in natiuitate semp. Contingit v̄o si ꝓpe natiuitatē: scilicet sa-
ptem vel quinq₃ dies ante natiuitatē ali⁹ planeta quā saturn⁹ gradum
orientē in conceptiōe obtinuerit ibiq₃ ꝑtātē hn̄s lunā uel ex q̄drato vel
ex opposito respexerit: exibit partus citius ꝑfinito tēpore. ¶ Dixit ptho-
lemeus. Ois planeta ante initiū alicui⁹ dom⁹ extn̄s ꝛ minus q̄. 5. gradi-
bus ab initio distans: quasi in illa domo existens est siue principiū illi⁹
dom⁹ sit in initio signi siue nō. Intelligendū aūt distātiā ꝑdictā quinq₃
gradibus equalib⁹ esse cōsiderandā: dico aūt q̄ q̄ñ planeta ē in princi-
pio dom⁹ maxime virtutis ē quāto aūt in ipa domo a principio magis
elongat: tanto virtutis minoris ē. Cū aūt est in proximo gradu ante pri-
cipiū dom⁹ parue potentie: est quā potentiā a principio recipit: mino-
ris aūt est potentie cū in secūdo est ante ꝑncipiū dom⁹: sic paulati potē-
tia diminuit: crescente distantia: ut in quinto nulli⁹ sit virtutis. ¶ Dixit
messahala q̄ si planeta est in. 30. gradu alicui⁹ signi nulli⁹ penitus vir-
tutis est in signo in quo est: sed in sequenti: hoc aūt falsū est. Signa eni
quocūq₃ modo accipiāt siue s̄m cogitationē siue s̄m visum: nullo inter-
uallo a se ab inuicem distincta sunt. ¶ Notum est iouis terminū esse in

ariete a capite arietis vsq ad finē sexti gradus eius. Terminū vero veneris in sex gradibus sequentibus esse:tamē si fuerit iuppiter in principio sexti gradus arietis non dicetur virtutem habere in termino veneris subsequente sed in suo: et sicut intervallo non distat terminus a termino:sic nec signū a signo.nam totus circulus gradibus distinguitur. ¶ Dixit hermes:cum aliqua stellarum fixarū primi honoris fuerit in gradu oriente ostendit nascentem magna et extranea et mirāda vltra parentes habiturū:sm temperiē illi⁹ stelle: dicitur aūt temperies stelle quod ipsa similē in terrenis exercet virtutē:similē dico virtuti quā in terrenis habet coniunctio aliquorū planetarū duorū. Dico aūt hoc dictū hermetis verum esse siue sit primi siue secundi honoris fixa: que tamē parue latitudinis sit ut ach imecalaçel et aldebaran que sunt primi honoris et cor scorpionis que est secundi:que vero magne latitudinis est ut aquila cadens que primi honoris est. Vel aquila volans que secundi est paruā virtutē in terrenis pōt exercere. ¶ Dicit aniriçi.qȯ fixa primi vel secundi honoris cum gradu oriente in natiuitate ascendēs:eandem habet virtutē quam habet in oriente quod falsum est. nam maior est virtus longitudinis quā latitudinis. ¶ Albumaçar vero in isagogis suis maioribus multas et varias figuras enumerat cum vnaquaq facie cuiusq signi ascendentes sm indos: qȯ magis ridiculo quā veritati accedit. Item albumaçar enumerat alias figuras sm ptholemeū cum faciebus signorum ascendentes. quod verum est sm quadragintaocto figuras que sunt in firmamento quas ptholeme⁹ enumerauit sm dispositionē quā habuerunt in tēpore suo:nunc aūt sm sententiam suam loca mutauerunt: cum tn̄ sm indorū sententiā sint imobiles. Veritas aūt sic est qȝ siue ille figure moueantur siue non:duodecim tātū earū considerare debemus que sunt propinque çodiaco: nō vigintivnā septentrionales nec quindecim australes. ¶ Indi i libro natiuitatū multas partes faciunt:quas omnes negligit ptholemeus nisi partez fortune. Ego autē in hoc libro enumerabo quas probauerūt periti huius artis scilicet doronius:messahalla: andruçagar: his prelibatis nūc de proposito dicendum est.

IN primis ergo sm tabulas probationū oriente inuento domos quoqȝ sm terre latitudinē coequa. sm artem a nobis in astrolabio traditam: nō sm magistros astronomie quorum falsitatē in libro de rationibus tabularū ostendimus. Et cum duodecim domorū figuram descripseris scribe locū cuiuslibet planete in domo in qua in-

uenif. Caput quoq; draconis lune et caudam: quos omnes in tabulis probationum secundum longitudinem terre oportet coequatos esse. Scribe etiam septem respectus cuilibet septē planetarū in domibus ubi sunt illi respectus cōsiderandi secundum distinctionē domorum et secundum gradus eq̄les. Hanc autē figuram appellam' figuram ptholemei.





Figura ptholemei

Hec est figura celi secundum q in het ptholemeus debere fieri in natiuitatibus.

Post hec aliā fac figuram et ab orienti gradu minue octo gradus retro: nec cures an in eodem signo an posteriori termineт subtractio: gradū vero in q̄cūq; terminat scribe in scd̄a figura initiū ponēs p̄me dom': et ad hunc modū a principijs singularum domuū deme octo grad': et gradus terminationis: principia reliquarū domū scribe in secunda figura. Similiter a locis singulorū planetarum et capitis et caude

ꝛ a locis respectuū ꝛ octo gradus retro deme: ꝛ terminos subtractionis singulorū in secunda figura scribe ꝛ hec appellat̄ figura indorū.




❡ Sūt aūt hee due figure ad presens negociū ad modū necessarie.


His predicto modo figuratis primo considerandū occurrit an nascens habiturus sit nutritionē que est quattuor annorū s̄m astronomos: qui anni attendunt̄ iuxta quattuor signa q̄ttuor elementis siīa. ❡ Primū eni annū indicat signū oriens. Secūdū v° annū s̄m ab oriēte signū

Tertiū:tertiū. Quartū:quartū. Ad huius vel notitiā grad⁹ oriens inspiciendus est:an aliquis planetarū ipm respiciat sm domorū distinctionem: vel sm gradus equales. Si respectus ille fuerit iouis vel veneris vel mercurij fortunati vel solis vel lune. Unū bonū testimoniū habes: si planeta respiciens in aliquo quattuor angulorū fuerit nisi crematus vel retrogradus sit. Si eni hoc contingat falsū est testimoniū. Si vero planetarū predictorū nec cōbustus nec retrogradus aliquis fuerit oriētem respiciens:fueritq3 dñs dom⁹ octaue vel sexte vel duodecime dimidiū testimoniū habes bonū. Qd si luna in prima domo fuerit vnū testimoniū habes perfecte malū. Item si saturnus vel mars vel mercurius nō fortunatus in aliquo angulorū fuerit ⁊ hoc testimoniū perfecte malum. Quod si aliquis horū tnū domin⁹ fuerit alicu⁹ angulorū dimidium testimoniū habes malū. Item si planeta fortune fuerit in prima domo dederitq3 vim suam planete infortunij octaue dom⁹ domino ⁊ hoc testimoniū perfecte malū. Luna vel respectus eius cū planeta fortune in aliquo angulorū bonum prestat testimoniū. Cum planeta infortunij malū testimoniū perfecte. Si vero post angulū:dimidiū. Si vero in nona domo vel tertia:quartā testimonij prebet. Si vero fuerit cum planeta fortune in sexta vel duodecima domo scilicet nullius est testimonij. Ibidem tamen cum planeta infortunij malum testimoniū perfecte prebet. Itez si luna fuerit in superiori emisperio dederitq3 vim suā planete existenti cuicunq3 in inferiori emisperio quocūq3 modo testimonium perfecte malū. Si vero luna in inferiori hemisperio fuerit:vimq3 suam dederit planete fortune quocūq3 respectu vel planete infortunij per respectū bonū:testimoniū perfecte bonū est. Cōsideranda etiā est adunatio lune cum aliquo planeta.s. an vterq3 latitudinē habeat aut alter tātū:aut neuter. Si ambo in çodiaco fuerint aut latitudinē habuerint sed equalem ⁊ in eadē parte testimoniū perfectū est sm qualitatem planete lune coniūcti. Si aūt alter in çodiaco fuerit:alter vero ex vtralibet parte latitudinē sed paruā habuerit aut ambo ex vtraq3 parte:latitudo tñ vni⁹ maior latitudine alteri⁹ minuit testimoniū sm quantitatem latitudinis. Si vero latitudinē ex diuersis partib⁹ habuerint nullū testimoniū erit. Si vō lūa ex opposito aliquē plāetā respexerit hūeritq3 coeqlē latitudinē ⁊ ex diuersis partib⁹ testimoniū perfectū. Si autez ex vna parte fuerit:licet latitudo equalis:nulli⁹ sūt testimonij. Si alter in çodiaco est alter latitudinē habeat vł ambo latitudines inequales ⁊ in diuersis partib⁹ habeāt minuūt testimoniū. ¶ Si vero luna aliquē planetam ex tertio vel sexto respiciat ⁊ alter in çodiaco fuerit alter extra:

parū diminuit testimoniū. Si ambo latitudinē habeant vel ex diuersis partib⁹ vel ex eadē dimidiū est testimoniū. ¶ Si luna ex quadrato aliquē planetā respiciat: siue vterq; vel alter: vel neuter latitudinē habeat testimoniū pfectū. ¶ Si luna a sole min⁹ quā duodecim grad⁹ distat pfecte malū testimoniū. Si vero ex quadrato vel opposito solem respiciat dimidiū testimoniū malū. Si ex tertio vel sexto bonū testimoniū pfecte. ¶ Si luna adiuncta fuerit saturno: vel in respectu saturni: fueritq; ipa inter adunationē: et oppositionē ei⁹ et solis saturni maliciā minuit. Si aūt inter oppositionē et adunationē fuerit: eius maliciā auget. ¶ Si vero adiuncta marti vel in martis respectu fuerit: ecōuerso accidit quā in saturno. ¶ Si luna et aliquis aliorū planetarū fuerit in diuersorū signorū gradib⁹ a linea equinoctiali eq̄distantib⁹ vel in fine a dextro vel in fine a sinistro: testimoniū pfectū fm planete qualitatē. ¶ Si in domo sexta luna ē etiā absq; oī respectu testimoniū dimidiū malū. ¶ Si leo vel sagittari⁹ vel aquarius oriēs fuerit ois testimonia pfata perfecta dimidiabunt in eadē qualitate tamē p manentia. ¶ Adhuc sp od tres dominos triplicitatis oriētis cōsiderādū: nec curādū an ipi plāete fortūe vl' infortunij fuerint. Nā si oēs tres vel duo eorū in domibus bonis fuerint: nec eorū in domib⁹ bonis existentiū aliquis retrograd⁹ vel cōbustus fuerit: testimoniū pfecte bonū. Si aūt in malis domib⁹ fuerint tres vel duo eorum aut retrogradi aut cōbusti testimoniū pfecte malū. ¶ Deinde triū dñorū triplicitatis status cōsiderandi et p eosdē dños: annos nutritiōis diuidēdos et cū cuiq; annus cū tertia anni parte cōiungat: prim⁹ dñs triplicitatis primū annū cum prima tertia sequētis anni iudicabit. Secūdus vo dñs duas reliquas cū duab⁹ tertijs tertij anni: tertius quod reliquū ē pro statu suo iudicabit. Primū quoq; annū nutritiōis prime domui ascribendū: secū de secūdū: tertie tertiū: quarte quartū: et si i aliqua illarū domuū est planeta malus: in anno domui ascripto infirmitatem nascens patiet: cui⁹ morbi qualitatē per planete qualitatē perpendere poteris. Temp⁹ quoq; infirmitatis hoc pacto ppendas a principio domus in qua est planeta vide p quot grad⁹ equales distet ipe planeta et singulis duob⁹ gradib⁹ et dimidio vnū mensē tribue et singulis gradib⁹ duodecim dies. Ex his sūt de gdus in sexto domo rationabimur mēbrum passurū cognosces. ¶ Potissimū aūt oiuz testimoniorū est ut planete super totum circulum potestatē habentis qnē sarraceni almutez dicunt statum consideremus: eius eni testimoniū pro qualitate sui status omnibus alijs simul acceptis equipollet. Hunc aūt sic inuenies. ¶ Sciendum ergo quod loca principalia quinq; sunt. Unus solis: alter lune.

Terti⁹ est locus adunatiōis vel oppositionis p̄ractis q̄ hanc natiuitatem precesserit. Hic aūt dissentiūt sapientes: cū eni oppositio natiuitatē precesserit dubitant an locus solis an locus lune: terti⁹ accipiendus sit. ¶ Ptholemeus aūt affirmat q̄ locū eius q̄ superi⁹ hemisperiū in oppositione obtinuit: tertiū ponendū. ¶ Hermes aūt et doroc hius asserūt tertiū ponendū esse locū superius hemisperiū tenentis in natiuitate. ¶ Indi tñ et messa halla dicūt locū lune in hora oppositionis semp̄ ponendū tertiū: quib⁹ consentiūt sapientes sarracenorū quibus et ego. ¶ Quart⁹ gradus oriens. Qu'ntus pars fortune q̄ fm ptholemeū semp̄ de die et nocte sumēda est a sole ad lunā. ¶ Computa quot virtutes habeat quilibet planetarū in his quinq̄ locis: et in loco in quo est: et in die natiuitatis et hora. Da dño domus q̄nq̄ virtutes: dño vero honoris quattuor dño triplicitatis quisq̄ hoꝝ fuerit tres: domino termini: duas: dño faciei vnā. ¶ Siquis in domo prima fuerit da ei duodecim virtutes. Existenti in decima: vndecim. In septima: decē. In quarta: nouē. In vndecima: octo In quinta: septem. In secūda: sex. In nona: quinq̄. In octaua: quattuor. In tertia: tres. In duodecima: duas. In sexta: vnam ¶ Attribue domino diei septē: dño hore: sex virtutes: et planeta ergo q̄ plurimas virtutes habuerit ille est almutez: et fm hoc quod numer⁹ virtutū cuiusq̄ ceterorū ad numerū virtutū hui⁹ accesserit: fm hoc virtus eius in nascente apparebit. ¶ Et q̄m antiqui de natiuitatibus tractantes fm ordinē domorū procedere consueuerūt nō fm ordinem licz naturalē a ptholemeo in libro quattuor capitulorꝝ obseruatū: et nos antiquorꝝ vestigijs insistentes eodē ordine p̄cedem⁹.

In primis ergo de aīa et ei⁹ affectibus et corporis complexione et vite quantitatē ratiotinabitur.




Ad indicandum ergo de anima nascentis primo statũ mercurij considera. Si mercurius fuerit occidentalis a sole nec sub luce eius nisi in ariete & leone. Nec retrogradationi propinquus. Et in aliquo angulorũ quod est eum fortem esse. Animã fortẽ liberalem famãq3 fortitudinis & libertatis indicat. Quod si fuerit in domo casus: subtilitatẽ sine fama sigt. Qd si p⁹ angulũ fuerit in predictis mediocrez sigt. Qd si i aliq̃ suarũ domorũ fuerit: liberaliũ aniũ sciaz portẽdit. ¶ Qd si fuerit in aliqua domorũ saturni vel ex quadrato vel ex opposito vbicũq3 extiterit: respiciat aliquã: phiaz pdicat: altorũ & diuinorũ indagatricẽ. ¶ Qd si fuerit in aliq̃ domorũ iouis: vel eũ q̃cũq3 mõ respiciẽs fuerit aliquã beniuolã largã legũ amatricẽ demõstrat. ¶ Si in domo martis

vel quolibet eius respectu: aliquā maledicā ⁊ de oīb⁹ malis suspicantē. Si in scorpione vel in respectū martis ex quadrato vel ex opposito lunaqꝫ vtrūlibet hoꝝ respexerit: alienoꝝ raptorū fraude ⁊ latronē significat. ¶ Si min⁹ a sole quā in. 16. minutis distiterit vel in domo solis fuerit astronomicū vel phisicū. Si in aliqua domorū veneris vel ei adunatus fuerit vel eam ex sexto respiciēs: aliquā simplicē musice appetitiuā. ¶ Dicit ptholeme⁹ si mercurius ⁊ luna se ad inuicem respexerint: aliquā naturaliū affectuū domitricē signat dicta ⁊ facta oīa moderātē ratione. Si neuter alterū nec orientē respexerit: oīa ɔtraria signt. Si alterū contigerit tm̄: nunc ordinate: nunc perturbate predicta āministrabunt. ¶ Si fuerit sub luce solis vel combustus nisi sit recept⁹ plurib⁹ quā. 16. minutis a sole distans: aliq̄ꝫ debilem ⁊ pauidā; etiā si eadem passus in aliqua saturni domū fuerit: vel saturnum quod sapientie indicatiuū est. Scienuā quidem sed paruā significat. Si retrogradus perfidam. ¶ Si orientalis a sole ⁊ fortis cū sapientia manualiū operū pciam indicat. Magis aūt si cum luna vel in lune domo fuerit. Si in signo mobili sermonis ⁊ opis inconstantiā. Si in stabili contraria. Si in bicorpori duplicē: aliud in ore: aliud in cor de habentem. ¶ Dicit ptholeme⁹ cōside ra planetā qui est almutez super locū lune ⁊ sup locū mercurij. Per hūc facilius sciūt⁹ q̄litates aīe ſm naturā planete almutez ⁊ ꝓportionē ei⁹ ad solē ⁊ ad angulos: ſm virtutē planetaꝝ eū respicientiū vel ei adunatorū. Et ſm signū in quo ē cū oē signū virtutē dn̄i sui habeat. Dico autē si almutez hꝫ aliquā virtutem in oriente ⁊ dn̄s sit hore: ipse solus sufficit ad indicādū de aīa. Si nec virtutē i oriēte hꝫ nec dn̄s sit hore debes miscere naturā dn̄i orientis vel planete existentis in oriente cum virtutib⁹ mercurij ⁊ almutez. ¶ Dixit messahalla: signa ignea signa regā sūt sublimiū aliq̄ꝝ demōstratiua: dico n̄ nām igneoꝝ ꝓ q̄litate dn̄oꝝ suoꝝ variari. Si enī aries oriēs fuerit marti nām habebit: bellicosus: verbosus: discordiaꝝ seminator ⁊ hec intendent ⁊ remittent ſm debilitatē vl̄ fortitudinē marti habitā in natiuitate. Et ſm respectū planetaꝝ ad martē. Qđ si iuppitꝰ in natiuitate arietē tenuerit nec cōbust⁹ nec retrograd⁹: ad fidei ⁊ religionis obseruationē nascens alios inuitabit. Si leo in oriente fuerit aliqđ sublime dominiū. l. sup alios appetētē laborez operū exosā indicat. Si iuppitꝰ in eo extiterit a sole orientalis: qꝛ ē q̄nte dn̄s bonos filios dicatur. Jtē qꝛ ē dn̄s octaue: longā vitā. Si vo ibidē mars fuerit iracūdū: bellicosū: lōgas vias pfecturū: qꝛ ē dn̄s none. Et ſm fortitudinē vel debilitatē marti ī natiuitate ea q̄ ɔfert mars intēdēt ul' remittēt.


¶ Et notandū quod in omni natiuitate mars ire indicatiuus est. Sed si fuerit in signo igneo maior erit iracundia quā in aquatico: ⁊ in signo humanā formā habente: sanguinis humani effusor erit. ¶ Saturnus quoq; in omni natiuitate solicitudinis ⁊ tollerantie labor significator est. ¶ Sol v° appetit° honoris ⁊ potestatis. Ven° appetit mulieres lu-dos ⁊ cōuiuia potatiōes ⁊ his silia. ¶ Mercuri° sapientiā ⁊ opa ⁊ ma-gis si fuerit occidentalis a sole. ¶ Juppit fidē firmā ⁊ appetitū pecūie. ¶ Luna v° virtutes naturales ⁊ cōpletionē corporis indicat. ¶ Et notā-dum cōmpletionē corporis pfecte sciri posse ⁊ p naturā signi in quo est luna: ⁊ pportionē lune ad solem. Et nām planete respicientis vel lunaz vel orientem vel vtrūq3. ¶ Pulchritudinē v° p hoꝝ triū figuras: orien-tis scilicet ⁊ signi in quo est almuteç: ⁊ signi in quo est luna pfecte scies. ¶ Signa v° pulchritudinis sūt: gemini: virgo: libra ⁊ prima medietas sagictarij. Signa sūt mediocris pulchritudinis sūt: scorpi° capricorn°: pisces. Qd si almuteç fuerit in çodiaco matrū nascentē protendit. Si ex-tra scdm quātitatē latitudinis pinguedinē. Si aliqd rectorū in oriente fuerit atq; in eo luna vel almuteç longitudinē maiorē qdē si vterq; sigt ⁊ hoc respectu parentū. ¶ Per dnm horez per planetā existentē in ori-ente: vel gradū orientē respicientē: colorē dodebit.

¶ Nunc de vita dicendū.

Si natiuitas diurna fuerit vide locuz solis. Si inueneris eum vel in decimo vl' in vndecima fm partitionē domorū sol hylech erit: qd mulier interpretat siue in masculino siue in feminino signo fuerit. Qd si aliqs planetoꝝ g potestatem hz sup locū solis solem respexerit: ille planetis alcochodē: qd marit° interptat erit. Qd si plures planete solem aspexerint: de illis sume almuteç. Si v° null° planeta solem respexerit: fac ut docebo postea: q; si sol fuerit in nona domo vel in septimo ⁊ in signo masculino pone solem hylech ⁊ vide si poterit habere alchocoden. Si v° in predictis domib° nona scilicz vel septimis ⁊ in signo feminino fuerit: vel in alijs domib° nō ponas euz hylech. Qd si sol nō est hylech: vel est hylech sed nō hz alcochoden. Vide locū lune: si fuerit in domo septima siue in masculino siue in feminino signo pone eaz hylech. Silr si fuerit in decimo vel in vndecimo ⁊ in signo masculino. Et notandū q; in alijs domib° superi° hemisperiū tenētib° luna hilech esse nequit. Itez si luna fuerit in prima domo uel tertia siue in signo ma

sculino siue feminino: vel in quarta vel in qnta ꝛ in signo feminino: pone eā hylech: si aūt in signo masculino vel in alia domo inferiori hemisperij: ne ponas hylech: qꝫ si lunā hylech inueneris: vide si habeat alcocboden an nō: si nō hꝫ alcocboden: vide si natiuitatē precesserit adunatio vel oppositio solis ꝛ lune: si adunatio p̄cesserit: ꝛ si grad⁹ adunationis fuerit in aliquo angulorꝫ vel in domo q̄ est post angulū illū gradum pone hylech: ꝛ vide si habeat alcocboden. Si oppositio solis ꝛ lune natiuitatē precessit sume gradum oppositionis eius: scilicet qui in natiuitate fuit super terrā ꝛ quomodo de gradu adunationis: operare quod si non habueris hylech: siue alcocboden: pone gradum orientē hylech: ꝛ eius quere alcocboden: ꝛ si non habuerit alcocboden pone partem fortune hylech: ꝛ ei⁹ quere alcocboden: ꝛ si non habuerit vita nascentis breuis erit: ꝛ qꝫ primū interemptorū gradus oriens offenderit: nascentē perimet. Et quāto plures hylech ꝛ alcocboden fuerint: tāta vita plixior erit. ¶ Qd̄ si natiuitas nocturna fuerit ꝛ luna in aliquo locorꝫ p̄dictorꝫ in supiori scilicet vel in inferiori hemispio: pone hylech ꝛ quere ei⁹ alcocboden: ꝛ si ipa nō fuerit hylech: vel alcocboden nō habuerit: pone solem hylech si fuerit in prima vel quarta vel quinta: siue in feminino siue masculino signo: ꝛ quere ei⁹ alcocboden: ꝛ si ipse nō poterit esse hylech: vel nō habuerit alcocboden: opare ut supra de gradu adunationis vel oppositionis de gradu oriēte vel ptis fortune. ¶ Et sciendum si natiuitas fuerit post oppositionē: ꝛ sol ꝛ luna ambo in natiuitate fuerint sup terrā: sume locū solis. Qd̄ si natiuitas nocturna fuerit ꝛ luna sub terra: sume locū lune in oppositione ad hylech faciēdū: ꝛ cum habueris hylech cui⁹ sit alcocboden vide alcocboden. si fuerit in aliq̄ angulorꝫ quattuor: nec fuerit sub luce solis: nec retrograd⁹ vita nascentis tanta quāta est multitudo annorꝫ maiorꝫ illi⁹ alcocboden. Qd̄ si fuerit alcocboden in domo vndecima vel quinta ꝛ fuerit ille planeta vnus de trib⁹ superiorib⁹ ꝛ orientalis a sole. Uel vnus de tribus inferiorib⁹ ꝛ occidentalis a sole: reputa eū quasi eēt in angulo. Uiteqꝫ nascenti maximos annorꝫ ascribe. Si alcocboden est aliqs supiorū triū ꝛ occidentalis a sole. Uel aliquis inferiorꝫ ꝛ orientalis a sole: annos mediocres vite attribue silr annos mediocres vite ascribe: si fuerit in secunda vel octaua siue orientalis siue occidentalis soli fuerit. Si vero fuerit in domo casus minimos annorū vite adiudica: qd̄ si alcocboden fuerit sub luce solis numerus annorū sibi ascriptorū numerꝫ dierū significat tm̄. Si alcocboden retrogradus fuerit ꝛ inter primā stationē ꝛ oppositum

deme vnam quintā reliquū vite ascribēs: ⁊ hec est ꝓporcio albumaçar bequ a scheden eius discipul⁹ in libro suo mētionē fecit. Si sol vel luna hylech fuerit: bonorꝫ respectu alcochoden suū respexerit: addendus est numerus minuꝝ hylech: annorꝫ numero alcochodē: sꝫ si respexerit cū ex quadrato vel opposito: nec addes nec detrahes gd numero alcochoden. Si mars vel saturn⁹ ex quadrato vl' opposito alcochoden suū respexerit: vel mercuri⁹ infortunat⁹ vel ex quadrato vel opposito suū alcochodē respexerit: minimos annorꝫ respicientis ab annis s̄di propositis deme: cū vero aliquis horꝫ triū ex tertio vel sexto respexerit nec minue nec adde. Juppiter: ven⁹: mercuri⁹ fortunat⁹. quocūqꝫ modo suū alcochoden respexerit: respicientis minimos annorꝫ ad de alcochodē annis. Si planeta sit alcochodē qui inferior existēs supiori planete alicui vim suā dederit superior erit alcochoden: vitaqꝫ erit ꝺm hoc qd ille alcochoden fuerit in angulo vel post angulū vel in domo casus ⁊ ꝺm planetas ipsum respicientes. ¶ Dicit ptholemeus vide almutez qui sup gr⁹ ne loca principalia fuerit: illū pone alcochoden: ptholeme⁹ ⁊ oēs antiqui in hoc concordant ꝙ ea q̄ dixim⁹ de alcochoden ad veritatē ꝑpe accedunt. Veritas aūt sic hꝫ: duc hylech vsqꝫ ad locū corruptionis vite: qui ꝓpe est propinqu⁹ annis quos ostendit alcochoden: ante ⁊ retro secūdū annos alcochoden cū gradib⁹ distans qd si feceris duct⁹ ꝑ directionem cum gradib⁹ equalib⁹: fac quoqꝫ respectus cū gradib⁹ equalibus Si feceris ductus cū ascēsionib⁹ terre vel cū ascēsionib⁹ circuli recti vel mixtis ꝺm qd in astrolabio docuim⁹: fac respect⁹ planetarū ꝺm partitionem domorꝫ: qui mod⁹ ducendi melior ⁊ valentior est. ¶ Nūc aūt loca corruptionū vite exponem⁹. ¶ Grad⁹ oriens vitā corrūpit. si luna est hylech. Si grad⁹ oriens hylech luna vitā corrūpit: ꝑncipiū quoqꝫ quarte dom⁹ vitā corrūpit. principiū simili̾ septime dom⁹ si hylech fuerit in sexta vel nona retro ducēdus. Locus quoqꝫ solis: ⁊ quadratū ⁊ oppositum. Locus quoqꝫ oppositus loco dn̄i octaue siue planeta sit fortune vel infortunii: caput quoqꝫ ⁊ cauda draconis luna existente hylech: saturnus quoqꝫ ⁊ mars ⁊ mercuri⁹ non fortunat⁹: scilicet loca horꝫ ⁊ quadrata ⁊ opposita vitam rūpūt eorundem respectus ex tertio ⁊ sexto si aliquis horum domin⁹ fuerit sexte vel octaue vel duodecime similiter termini horꝫ. Si planeta fortune respexerit terminos eorꝫ quocūqꝫ modo vel sol vel luna ex trino vel sextili: morbo quidem graui affligetur non tamen vita priuabitur nascens. Locus quoqꝫ aldebaran humerusqꝫ canis: ⁊ cor scorpionis: cor leonis: caputqꝫ diaboli: quod est in tauro.





Dom⁹ scd̃a ẽ dom⁹ pecunie. Hic dicem⁹ de ꝓprietate ⁊ felicitate in q̃ tpe suoꝝ ãnoꝝ contingat. Primo inppit cõsiderãdus. Si hic fuerit in aliq̃ anguloꝝ vel p⁹ angulũ ⁊ oriẽtalis a sole ⁊ potestatẽ hñs sup orientẽ i natiuitate diuitiarũ possessionẽ significat. Si dñs secũde dom⁹ fuerit in prima domo fueritq3 fortunat⁹ sine labore diuitias possidebit: ⁊ ꝑ naturã ill⁹ planete poteris scire vnde diuicie future sint. Ut si sol fuerit illi per potestatem diuitie contingent Si mars per bella vel ꝑ latrocinia. Si saturn⁹ ex hereditate mortuorũ Si iuppiter ex fide vel ex magistris fidei. Si venus ex parte mulierum Si mercuri⁹ ex sapientia vel ex mercatura. Si luna ex operib⁹ manuũ vel per itinera: qd̃ si dñs ille nõ fuerit fortunatus eũq3 planeta infortunij respexerit totã illam pecuniã amissurus est. Si dñs secũde vbicũq3

fuerit vim suã dederit dño pme dñsq prime in aliq̃ angulorũ fuerit nec
combust⁹ nec retrograd⁹ multã et sine labore pecuniã possidebit. ¶ Di
cit alchind⁹ vide almutez sup domũ secũdã et sup ptẽ fortune et sup lo-
cũ iouis et fm statum illius iudicabis. Dico aũt respiciendũ sp ad tres
dños triplicitat̃ signi loci solis si natiuitas diurna fuerit Si vo noctur
na fuerit ad tres dños triplicitatis signi in q̃ ẽ luna. siue alteruť hoꝝ fue
rit hylech siue non. et secũdũ stat⁹ illoꝝ triũ de trib⁹ ptib⁹ vite iudicabi-
pma enim pars vite dño pmo triplicitatis. secunda dño secũdo: tertia
dño tertio dedicat̃ r hoc fm naturam cuiusq eoꝝ. r fm proportionem
ad solẽ: r ad alios planetas: r fm vim dom⁹ r signi in q̃ est: r fm ꝑpor-
tionẽ domuũ ei⁹ ad primã domũ. ¶ Dicit albumaçar: sed en referente
fortuna sine fallacia: ut dñi triplicitatis signi ĩ quo est sol si natiuitas di
urna vel triplicitatis signi ĩ q̃ est luna si natiuitas nocturna fuerit: sint in
angulo vel post angulũ in suis locis recepti nulli impedimẽto ꝑ plane-
tas infortunij subiecti: vel quod dñs orientis in angulo vel post angu-
lũ suo loco recept⁹ vel direct⁹: qd si adunat⁹ fuerit planete fortune vel
eũ respexerit tãto meli⁹. Si sol in angulo existens vim suã dño orientis
dederit: fortuna magna r laudabilis erit: siliter si dñs orientis vim suã
soli existenti in angulo dederit vł si planeta fortune fuerit in oriẽte: aut
cũ dño orientis r nõ in domo casus: vel si pars fortune fuerit in orien-
te dñsq partis fortune eã respiciat: vel mercuri⁹ in oriente vim suã for-
tune planete in angulo existenti dederit: vel si dñs decime in oriente ex
istat eiusq nec cõbustũ nec retrogradũ planeta fortune respiciat: vł si iup
piter in domo vndecima fuerit direct⁹ dñs orientis: vel loci solis in die
vel loci lune in nocte: vel dñs grad⁹ adunatiõis vel oppositionis q̃ na-
tiuitatẽ ꝑcessit: vel si ven⁹ in domo qnta sit in domo prima ptẽ habe-
vel si fortune planeta dñs q̃rte in prima domo fuerit: vel si ven⁹ iouem
respexerit in domo decima: vel vndecima: vel prima: vel quarta: vł qn-
ta existẽtẽ vel si luna solẽ benigne respiciat neutro eoꝝ in domo casus
existente: vel si sol in die vel luna in nocte est in domo sui honoris nõ
infortunat⁹ in oriente ptẽ hñs. Dico aũt si aliqs superiorũ triũ orien-
talis a sole vel aliqs inferioꝝ occidentalis ab eodẽ fuerit vel ille superi-
or vltra qndecĩ grad⁹ a sole vel infra nonaginta: r ille inferior vltra qn
decim grad⁹ vsq in finẽ triũ signoꝝ r viginti duoꝝ graduũ q̃ est: potio
eoꝝ recta siue sit planeta fortune siue sit infortunij: si sit in angulo potẽ
nã: honorẽ: diuicias magnas sigt. si p⁹ angulũ mediocres. si ĩ domo ca
sus minores significat. Differentia tñ est hic inter planetã fortune r in-
fortunij. per huc eni sine labore ꝑ illũ cũ labore r timore supradicta cõ

b


tingent. Et poteris scire ex q̄ parte supradicta cōtingent: si domum in qua planeta ille ptātē hz inspicias ꝛ maxime eā domū quā ille planeta respicit. Si eni dn̄s orīētis fuerit: sua ꝓpria ꝛ prudēcia ꝑdicta cōparabit. Si dn̄s 2ᵉ ꝑ pecuniā suā. Si tertie ꝑ fratres suos vel ꝑ sciētiaꝫ fidei: ꝛ ad hūc modū i alijs domib⁹ dic. ¶ Dicit albumaçar qȯ ꝑs fortune iudicat sup primā medietatē vite: dn̄s vo partis supra reliquā ptē vite. ¶ Dicit hermes. Planete exištētes in superiori hemisፅio siue sint boni siue sint mali: sup primā medietatē: q vo in inferiori: sup secūdā medietatē vite iudicant. ¶ Dicit messehalla planete oriētales a sole sup primā medietatē: occidētales sup secūdā iudicāt. ¶ Ueritas sic ē planeta q in primo angulo vel dn̄s ꝑmi anguli fuerit: primā q̄rtā vite iudicat: q vo in secūdo. i. in decima domo vl' dn̄s illi⁹ anguli: secundā q̄rtā. Qui vo in septima: vel dn̄s septime: tertiā. Qui aūt in q̄rta domo vl' dn̄s ei⁹: postremā q̄rtā. Si vo planeta q est in aliq̄ angulorꝫ est orientalis a sole iudicabit primā medietatē q̄rte sibi ascripte: si vo occidentalis: secūdā medietatē eiusdē q̄rte vite. ¶ Dicit ptholeme⁹: luna iudicat q̄ttuor primos annos Mercuri⁹ decē seq̄ntes. Uen⁹. 8. Sol decē ꝛ nouē. Mars. 15. Juppiter duodeci. Reliquū vite saturn⁹ ꝯm stat⁹ cuiusq; in natiuitate iudicabit in tpe sibi ꝑfinito. ¶ Dicūt sapiētes ꝑsarū alio pacto tpa vite distribuentes si natiuitas diurna fuit: soli decē ꝑmos ānos attribuūt. Ueneri octo sequētes. Mercurio tredeci. Lune nouē. Saturno vndeci. Joui duodecim. Marti. 7. Capiti draconis tres. Caude duos. Et hi oēs sūt septuagintaq; anni. Qȯ si vita vlteri⁹ ptendit: sequētes annos: ꝑdicto ordine iudicabūt ꝑ numeros annorꝫ ꝑdictos. Si natiuitas nocturna fuerit: Luna ꝑ ꝑmos annos iudicabit: dein de saturn⁹: deinde iuppit: deinde mars: deinde sol: dein de ven⁹: deīde mercuri⁹: q̄sq; ꝑ spaciū ānorū sibi ascriptorꝫ supra noiatorꝫ: iudicabit: deīde caput: deinde cauda. Et hāc ꝑtitionē vocāt alfridar. Insuꝑ quālibet ꝑdictarꝫ ꝑtitionū ꝑ septē diuiserunt: primā septimā dn̄o illi⁹ partitiōis soli attribuētes: secūdā vo septimā ipi ꝛ planete primo ei ꝛ inferiori in circulo: tertiā septimā ipi ꝛ planete tertio ab eo ꝯm ordinē planetarū quȯ ꝛ in horis: ꝛ ꝯm vim vniuscuiusq; in natiuitate: ꝛ respectū alteri⁹ ad alterꝫ suo tpe. ¶ Indi vitam in nouē ptes distribuerūt q̄s nouenas appellāt: domos quoq; ꝑ grad⁹ eq̄les: ꝑmā nouenā iudicāt ꝯm planetas exištētes inī principiū duodecime dom⁹ ꝛ oriētē: vel ꝯm respect⁹ in supradicto spacio habitos vl' ꝯm domos duodecim: ꝛ ꝯm hūc ordinē dom⁹ prima secūdā nouenā iudicabit: scd̄a tertiā nouenā: Nona quartā: a principio none dom⁹ vsq; ad finē ei⁹ dē indicat Nouena qnta i decis iudicaī. Sexta nouena i vndeci

me. Septima. 9ª in 6ª domo. Octaua nouena in septima domo. Nona nouena in octaua domo. Fit aũt iudiciũ hic ẜm planetas in illis existẽtes domib⁹ ꝛ ẜcd̃m respectũ ꝛ dños earũ. Et hec dom⁹ secunda dicitur dom⁹ psiliẽtis ex insidijs. nam si bonus planeta in ea fuerit inopinato bono gaudebit: si vo mal⁹: malo inopinato affliget. ¶ Messahalla dicit si planeta fortune nec cõbust⁹ nec retrograd⁹ fuerit in 2ª domo: ppetue felix erit. Si vo infortunij fuerit in sua ptãte sponte ppria: sua dilapidabit. Si vo non in sua potestate: violentia amittet vel furto. ¶ Pars aũt pecunie sumitur a loco domini secunde domus: secũ de dico: iuxta partitionẽ domuũ factã secũdũ latitudinẽ terre vsq ad principiũ secunde dom⁹: ꝛ eam distantiam adde orienti: ꝛ vide in qua domorũ finiat cõputatio: quia terminus distantie est pars pecunie: que si fortune est ex parte eox quorũ indicatiua est illa domus pecunia ꝯtinget.




Omus tertie: antiqui pbauerunt qd mars de fratrib9 iudicat: z cui9modi stat9 erit: fres habebit: z fm pportionē ei9 ad orientē z dominū orientis: fratres eius ad ipm se habebūt. ¶ Dicit doroneus. Saturnū planetaꝝ summū de corpore nascētis iudicare. Iouē vo secundū ab eo qui z secunde domui ordine assimulatur de pecunis. Martē vero de fratrib9: consanguineis: z fratribus vxorū. Hic eni domui tertie ordine similis est: Solem vero quartū a saturno quarte domui similem de patrib9. Uenerē qnte domui similem de leticia z eius adiunctis. Mercuriū de seruis. Lunā de vxorib9. Saturnus item octaue domui similis de morte iudicat. Juppiter none filius de fide. Mars decime similis de victoria z honore. Sol similis vndecime de laude z fama. Uenus duodecime domui similis de labore z penitētia voluptatis precedentis. ¶ Dicit hermes: qd dñs hore natiuitatis fere equalem potentiam cū domino orientis habet: Dñs vero hore sequentis de pecunia iudicat. Dñs tertie de fratrib9 z sic de dominis nouē sequētiū horarum operare vsqꝫ ad completionē duodecim domuū. ¶ Dicit ptholemeus: secūdū statum saturni z solis in natiuitate de fratribus maiorib9 iudica: fm statum iouis z martis de mediocrib9: scdm statuz mercurij de minimis: scdm statū lune de sororibus maioribus: scdm statū veneris de minoribus. ¶ Dicit andruçagar. Dominus prim9 triplicitatis domus tertie super fratres maiores iudicat: dominus triplicitatis secūd9 super mediocres: dñs tertius de minimis. ¶ Dicit çedel: si vis scire an nascens sit primogenitus matris sue. Uide an saturnus ē in aliquo angulorū vel sol sol in aliquo angulorū in domo sua z regno vel domin9 orientis est aliquis trium superiorū z in domo tertia: vel domin9 tertie sit aliquis trium inferiorū z sit in oriente. si aliquod horū testimoniorū inueneris: iudica primogenitū. Ego aūt dico licet hec testimonia sint concurrentia: tñ ea falsa inuenisse. ¶ Falsum quoqꝫ inueni qd ptholemeus in libro quattuor capituloꝝ dicit. Si inueneris solem z lunam z orientē in aliquo bicorporū vel in pluribus iudica gemellos natos fuisse. ¶ Falsum quoqꝫ qd messahalla dicit. Si inueneris partē fratrū in signo bicorporū habebit fratres nascēs nō eiusdem matris z pris cū eo. ¶ Probaui etiā de parte fratrū inspiciēdū esse locū martis z dñm tertie dom9 z dñm partis fratrū q̄ sumit de die z nocte p additionē distantie saturni ad iouē z ad orientē. per statū horū triū scire poteris qliter fratres sui erga nascentē se habebunt. ¶ Hec itez domus tertia de pericia legum iudicat: z fm fortitudinē vel debilitatē mercurij si ipse respiciat

hanc domū vel dñm dom⁹ respiciētē suam domū: de periclis legū iudicium fiet. ¶ Si iuppiter nocte domū tertiā tenuerit: legis sue rigid⁹ custos erit: si vero in die: apparens ⁊ nō existens erit. ¶ Pars absconditis que nocte ⁊ die sumit: addendo distantiā lune ad solem orienti fm planetes respicientes eam: de archanis consciētie nascentis erga deum ⁊ erga homines indicat: q si iuppiter fortis in natiuitate partē illā quocūq modo respexerit: ⁊ deum diliget ⁊ a deo diligetur. Si dñs huius partis retrogradus fuerit similiq dominus tertie vel none: vel si dominus tertie vel none ex quadrato vel opposito suam domū respexerit in duodecima existens: fidei sue desertor erit. Itē hec dom⁹ ē de vijs breuibus ⁊ diuturnis scdm planetas respicientes ⁊ se ⁊ dñm eius indica.




Domus quarta. Omnes antiqui in hoc cõsentiẽtes domũ hanc patri: decimã aũt matri ascribũt: ptholeme⁹ autem e contrario sentit. ¶ Aniriçi. quartã in die domũ hãc patri: decimã matri: nocte ecõuerso ascribit. ¶ Serçeiomo or: si dom⁹ q̃rta mascula fuerit ẽ pris. si femina q̃cũq̃ tẽpore matris ẽ. Hoc aũt falsũ: nã si q̃rta mascula: r⁹ q̃cq̃ mascula erit: veritas ẽ cui z hermes z oẽs indi sapiẽtes consentiũt qδ antiq dixerunt. ¶ Poteris per natiuitatẽ filij z quãtitatẽ z qualitatẽ vite paterne reliq̃ post natiuitatẽ ppendere hoc pacto. Inspice quattuor loca que de patre iudicãt. locũ .s. solis locum saturni: domũ quartã z partem patris que sumit̃ in die addendo orienti distantia solis ad saturnũ nocte a saturno ad solem: q̃ si saturnus sub luce solis fuerit: die a sole ad iouẽ: nocte a ioue ad solem sumit̃. Si natiuitas diurna est primo locus solis inspiciendus si est in aliquo angulo⁊ ex quadrato vel opposito saturnũ vel martẽ respiciens: nec iouem vllo modo respiciẽs breue⁊ vitam patris sig̃t: z scđm numerũ graduũ interiacentium a sole vsq̃ ad alterũ predictorũ respectuũ: quãtitas vite erit: si autẽ sol in angulo fuerit nullũ infortunij planetã: iouem autẽ respiciat: vel venus cũ ipso fuerit: vita prolixa erit. Cui⁹ si quantitatem scire volueris: vide si sol est in aliquo locorũ supra nominatorũ in quib⁹ põt esse hylech: z si planeta qui super illa loca quattuor est almuteç solem aliquo modo respexerit ab eo vite quantitatẽ deprehendes: nã si ille planeta q̃ almuteç est super quattuor predicta loca est in aliquo angulo⁊ ei⁹ annos mediocres patri tribue. Si non est in aliquo angulo⁊ minimos. ¶ Notandum etiã si sol fuerit hylech: patri z filio cu⁊ sol scđm ductus puenerit ad aliquẽ locorũ predictorũ corruptionis vite: pr̃ z filius simul infirmabunt̃: quod si aliquod trũ reliquorũ testimoniorũ patris eadem hora z nullũ testimonio⁊ filij illuc peruenerit filio euadente pater morietur z ecõuerso. ¶ Qδ si vtriusq̃ aliqδ testimoniũ eodem simul puenerit: simul morient̃. Superius etiã diximus nõ nisi duob⁹ testimonijs habitis iudicandũ esse. Si sol hylech patris esse nõ poterit in natiuitate diurna: inspice saturnũ: quod si fuerit in aliquo angulo⁊ vel in vndecima vel in quinta: eum pone z quere ei alcochodẽ. Si est in loco in quo nõ potest esse hylech: vel in loco in quo est hylech nec habet alcochodẽ: sume domũ quartã: z vide si aliquis eorũ ibi ptãtem hẽs vel q̃ maiorẽ si plures in ea ptãtes habuerint: respectũ ad eã habuerit: z ab eo sume quãtitatẽ vite. Si nõ fuerit: vide ptẽ patris z sume vbicũq̃ sit: z inspice si i illa potens eã respiciat: z ab illo sume quantitatẽ vite: qδ si pri alcochodẽ nõ

